



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. III. Ostenduntur loca Scripturæ pro Divinitate Filii Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

OBJICITUR 12. Ut aboleatur unum illum Deum solum verum, esse Deum Patrem Christi, una Deitas vel essentia, nihil reale in se continens, non vivens, aut substantiale aliquid denotans, pro uno solumque vero omnium creatore Deo Christi Patre, à nobis supponitur.

RESPONDETUR. Stat in catholica sententia, ut quamvis unus ille Deus solus verus, sit Deus Pater Christi, adhuc Filius sit unus ille Deus solus verus, non ergo ut aboleatur illud prius quicquam à nobis docetur. Negatur item quod una Deitas sit per nos aliquid nihil reale denotans; denotat enim Dei essentiam, quæ est quid reale nemine cogitante, vivens, &c.

OBJICITUR 13. Si essentia & Deitas, est natura divina (ut quoque humanitas fieret natura humana) quæ nec vivit per se, nec reale quid vel substantivum sive substantiam denotat, sunt enim multa abstracta à Deo & homine, qui sunt viventes & reales substantiæ sequitur quod quemadmodum humanitas non est homo, ita nec Deitas est Deus, sed abstractum aliquid à Deo, proprietatem vel naturam Dei denotans.

RESPONDETUR. Argumentum probare multum, quod Deus non sit vita, sapientia, bonitas; hæc enim per arguentem sunt nonnisi abstracta, & tamen metaphysicè demonstrabile est Deum esse actum purum nemine cogitante; consequenter nemine cogitante esse illum Deitatem, bonitatem, &c. & quia homo non est actus purus, non potest dici esse humanitas. Ly autem ut quoque humanitas fieret natura humana, non apparet quid velit.

DIFFICULTAS III.

Uti duntur loca Scripturæ pro Divinitate FILII DEI.

Nicolaus Cichonius vir apprime eruditus inter alia opera edidit etiam centuriam argumentorum pro Divinitate Filii Dei, legantur argumenta ejusdem: cujus etiam & alia opuscula, docta & solida instituent bene ad disputandum. Penaloza integrum totum argumentorum pro Trinitate adfert. Brevius Ruiz & Petavius uterque tamen satis fuscè. Aliqua argumenta indicanda sunt.

PROBATUR 1. ex Veteri Testamento.

PRIMA AUCTORITAS est ex illo Isaia 45. *Ex quo sic formatur argumentum. Deus, præter quem nullus alius est Deus, est verus Deus, Christus est talis; quia de illo dicitur dicto loco. Non est Deus absque te; & infra; Mihi curabitur omne genus; quem locum Paul. ad Rom. 14. de Christo intelligit. Consonat locus ex Jerem. 3. Hic est Deus noster, & non estimabitur illius ad eum &c. subdit, post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. Item Isaia 45. Ego sum Dominus, & non est absque me*

Salvator. Et tamen dicitur Matth. 12. Ipse enim salvum faciet populum suum.

SECUNDA AUCTORITAS est. Quia Christus appellatur sine addito Deus; ita habetur Isaia 45. *Ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israel.* Isaia 9. *Deus fortis.*

TERTIA AUCTORITAS est. Quia appellatur Dominus sine addito 1. ad Corinth. 8. *Nobis unus est Dominus Jesus Christus.* Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Jerem. c. 23. De germine David loquens ait: *Hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus justus noster,* in Hebræo est nomen Domini Tetragrammaton; Talia autem nomina nunquam dicuntur de pura creatura.

PROBATUR 2. ex Evangelio.

PRIMA AUCTORITAS est. *Verbum caro factum est; Deus est Verbum.* Ergo Deus caro factum est. Subsumitur, caro factum est Deus. Caro factum est Deus; Ergo Christus est Deus.

SECUNDA AUCTORITAS est. *Per quem omnia facta sunt,* est Deus, Christus est, per quem omnia facta sunt, ut dicit Evangelium Joannis; Ergo Christus est Deus. Major prob. quia illud ipsum, ut arguit August. per quem omnia sunt facta, si non est Deus, vel est factum vel non factum? si non factum & tamen est; Ergo est quid increatum; Ergo Deus; si factum, ergo non omnia per ipsum facta sunt, nihil enim se ipsum facit.

RESPONDENT 1. Adversarii nomine Dei veri poni in Græco cum appositione articuli; de Christo autem non ponitur cum articulo.

CONTRA nomen veri Dei ponitur interdum sine articulo, ut in illo loco: *Fuit homo missus à Deo; & Deum nemo vidit.* Deinde appellatur Christus Deus cum articulo 1. Joan. 5. ubi dicitur: *Hic est verus Deus;* Et ad Rom. 9. *Qui est super omnia Deus benedictus.* Et Joannis 20. *Dominus meus & Deus meus.*

RESPONDENT 2. Quod particula *Per* sit signum causæ instrumentalis, consequenter quod omnia sint per Christum facta, non ostenditur ejus Divinitas.

CONTRA. Ad Rom. II. v. 23. ut advertit Penaloza d. 9. c. 10. dicitur: *Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso.* Ad Galat. 4. *Quod si Filius & hæres per Deum.* Ad Tim. I. *Fidelis Deus, per quem vocati estis.* Genes. 4. *Possedi hominem per Deum.* En vero Deo, aptatur particula *Per.* De Christo etiam dicitur non tantum, quod per ipsum sint omnia, sed & ex ipso: nam dicitur ad Ephes. 4. *Christus, ex quo totum corpus compactum.* Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Joan. 6. *De meo accipiet &c.*

TERTIA AUCTORITAS est. *Ego & Pater unum sumus.* Item, *Omnia quacunque habet Pater, mea sunt.* Quorum omnium locorum defensio ex aliis facile petitur, jamque de facto supra etiam illorum defensione non inuimus.

Dd

Pro-

PROBATUR 3. ex aliis Canoniciis Scripturis.

PRIMA AUCTORITAS est Pauli, qui ad Rom. 9. v. 5. appellat illum: *Deum super omnia benedictum*. Formatur sic argumentum; Nulla creatura est Deus, super omnia benedictus, Christus est per Paulum Deus super omnia benedictus; Ergo Christus non est creatura. Major probatur. Deus verus est Deus super omnia benedictus; Ergo, quod non est Deus verus, non est Deus super omnia benedictus; nam in necessariis si affirmativa sit vera, falsa est negativa universalis. Eadem Major sic ulterius probatur. Si aliqua creatura esset Deus super omnia benedictus, esset Deus etiam super Deum summum, benedictus; si enim supra ipsum non esset benedictus, super omnia non esset benedictus.

Quod si dicas; esse super omnia benedictum, est, se inferiora creasse, item, omnia se excepto; jam non accipis Scripturam, ut sonat, & hactenus non ostendisti absurdum, cur simpliciter pro vera Divinitate Christi accipi non possit?

SECUNDA AUCTORITAS est ejusdem Pauli ad Philip. 2. v. 6. Ex quo loco sic arguitur; Cui naturam Dei habenti esse æqualem Deo est proprium & non alienum; ille est verus Deus: nam habere æqualitatem cum Deo, est illi esse propriam & non alienam Deitatem, hocque Deo non nisi convenit; sed Christo habenti naturam Dei, est proprium & non alienum esse æqualem Deo; Ergo Christus est Deus. Minor probatur, cui dicitur, quod *cum in forma Dei esset, non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo*, illi naturam Dei habenti esse æqualem Deo est proprium & non alienum, sed de Christo id dicitur. Ergo &c. Major probatur. Quia forma Dei est natura Dei; accepit enim nomen formæ pro natura Arist. 5. Metaph. c. 8. text. 15. Et Græca locutio pro forma habet naturam. Et certe ipse ille terminus æqualitatis cum Deo arguit Divinitatem: quæ enim creatura potest esse æqualis Deo?

TERTIA AUCTORITAS est ex 1. Joan. 5. v. 20. *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & si- mus in vero Filio ejus, hic est verus Deus, & vita æterna*, ex quo sic formatur argumentum; Hic verus Deus & vita æterna est summus Deus, tum quia hic apponitur articulus, qui per ad- versarios est nota Deitatis, tum, quia si per Ly- verus Deus non intelligitur summus Deus, etiam per summum Deum non intelligeretur Deus; sed dicerem esse summum ex similitudine ma- xima: Christus vocatur hic verus Deus & vi- ta æterna; Ergo &c. Immerito autem & sine fundamento diceret, hæc verba ad Patrem re- ferri, & particula *Hic* in aliis similibus ostendit dictionem referri ad immediatè anteposita; immediatè autem antea dictum est de Christo.

His omnibus argumentis & quibuscunque aliis non nego ingenia humana perversam re- sponsum cominisci posse, sed armantur hæc doctrinæ sensu Ecclesiæ, ut supra dictum est.

QUÆSTIO III.

De Spiritu Sancto.

CRELLIUS & ex ratione & ex auctoritate pro- bat Spiritum Sanctum non esse Deum. Quod ad rationes attinet, in hoc maxime infi- nit, quod Spiritus S. deberet esse Filius, sed hoc in materiis Scholasticis tractatur. Quod ad au- thoritates attinet Scripturæ, hæc sunt exami- nandæ.

DIFFICULTAS I.

Explicantur Auctoritates in oppositum.

OBJICIT 1. Crellius. Nullum posse profer- ri locum, in quo Spiritus Sanctus appella- tur Deus summus.

RESPONDETUR. Adferenda esse inferius testimonia.

OBJICIT 2. Crellius. Nullibi exstare Scri- pturam, quæ dicat Spiritum S. esse adorandum.

RESPONDETUR. Exstare hoc æquivalen- ter cum esse adorandum. Quando autem di- cit ex sententia Erasmi, quod Hilar. in Libris de Trinitate nullibi dicat, Spiritum S. esse Deum vel adorandum, sed tantum promerendum. Item quod in Missali Cracoviensi antiquo, quod appellabatur Rationale divinarum offi- ciorum, pro ratione redditur, cur nulla oratio dirigatur ad Spiritum Sanctum; quia donum non petitur à dono, sed à largitore doni, id non evincit. Non primum, quia Hilar. Lib. 12. de Trinitate in fine dicit, genitum tamen Spiritum Sanctum non dicturus, dicam unquam creatu- ram? quod ipsum est dicere, quod Deus sit. Antiquiores longè Patres Hilario, adducit Pe- tavius lib. 3. c. 7. à n. 9. Quod attinet ad Missale Cracoviense illud vidisse non contigit explicari si potest illud Ly donum, quia scilicet Ly donum potest supponere pro dono increato adeoque pro Deo. Est autem quædam doni & Spiritus Sancti proportio, cujus etiam meminit Ruiz, nimirum, quia liberalis & gratuita donationis prima radix est Amor, ideo namque donamus gratis, quia volumus donum accipienti perso- næ, quapropter Amor habet rationem primi doni per quod omnia gratuite donantur: quia ergo Spiritus S. vi suæ processionis formaliter procedit ut amor, fit ut illi ratione suæ proprie- tatis personalis, conveniat peculiariter doni for- malitas. Ex eo etiam quod Pater sit fontalis ori- gigo totius Deitatis, & Filius habet rationem me- diatoris, hinc conjunctim ad hos dirigatur oratio; dirigatur tamen & ad Spiritum S. in illo hymno: Veni